Epistola 3?1.

IOHANNI COCCEJO BERNHARDUS SOMERUS.

Vir Clarissime,

[redacted] et præceptor honorande.

Literæ tuæ, quas ad me mittere novissimas dignatus es, quemadmodum inopinæ, ita gratissimæ acciderunt. Id nunc doleo, quod temporis brevitas nisi tumultuariâ gratiarum actione mihi defungi non permittat. In literis tuis ea legi, quæ nusquam alibi in scriptis tuis, unde mihi gratulor de loci difficilis intellectu, qui diu me torsit. Ego tam charæ manus pignora diligenter asservo, et memoriam mei penes Rev. Tuam non intercidisse ex animo lætor. Addis etiam, quasi Rev. tuæ non satis debeam, munus mihi tam honorificum, ut ferè superbum me fecerit. Magnas ago gratias Rev. tuæ, quod tam benigna manu defensionis tuæ exemplar ad me mittas, imprimis cùm sciam typographos parum animosè et ubertim suppeditare auctoribus ~~suo~~ scriptorum suorum exemplaria. Ante quatuordecim ferè dies D. Boudaan mihi perlegendum dederat, cùm valde indignarer scripta tua apud bibliopolas nostros non prostare. Miror hoc non fieri, hic enim plures sunt qui te et tua amant, quàm quisquam credidisset. Hominibus nostris Defensio tua valde placet, et scribendi genus, et modus conserendi argumenta. Mihi visa est necessaria et pulchra, quæque præfationis tuæ argumentis maximam lucem facit. Sed videtur Rev. tua nimis clementer agere cum homine tam petulanti et absurdo et juvene. Et ~~Sed~~ hoc miror, vir clarissime, quod isti homini pag. 42. et 43. minerval permiseris, ubi nihil ipse accepisti, nihil ille tradidit. quæritur an LXX. ~~benè~~ עט bene verterunt σχοῖνος, id ille affirmat, quia juncum significat. Sed hæc paraphrasis est, non versio. עט est quodcunque instrumentum acuminatum, quo sculpitur, juncus ~~[illegible]~~ est talis instrumenti certum genus. Junci usus non potuit fuisse ante inventam papyrum, quod factum est sub tempora Alexandri. parum de junco cogitarit Jeremias, qui illum longo tempore antevertit, cùm ita scripsit לַשֶּׁקֶר עָשָׂה עֵט

Præterea עט est stilus, quo sculpitur Jer. 17:1. σχοῖνος quo pingitur. σχοῖνος σιδηρᾶ (ut notat Rev. tua) stultissimum esset ὀξύμωρον. Ps. 44:6. κάλαμον verterunt, melius alibi γραφίδα et γραφεῖον. nescio quid pag. præcedenti de confossa sua pagella narret. in meo exemplari perinde se res habet, quemadmodum in tuo, impudentem oportet hominem esse, qui nescit quo casu quisquam nancisci potuerit confossam istam pagellam, cùm astu factum esse videatur. dicam, vir clarissime, quid mihi de tali homine ex sermonibus et scriptis ipsius videatur, naturam ventorum ita didicit, ut etiam induerit, mari suo plus æstuat et μετέωρος est. Audio commentarios tuos in Epistolam ad Galatas Amstelodami excudi, et epistolam ad Romanos brevi prodituram, sed nihil ferè nisi incerta famâ; unde magis miror, quomodo in tot negotiis mei potueris recordari. Quæso, vir celeberrime, ne ita existimes, me non frequenter scribere per negligentiam aliquam et socordiam. Sed ideò hoc fit, quia non crebræ scribendi occasiones nascuntur, et quolibet tempore sine aliqua necessitate scribere parum potius est, ~~[illegible]~~ quam ut inter nos, ubi tanta est imparitas, locum habere possit, imprimis hoc tempore quo tam parum otiosus es. Aliquoties scripsi D.o van Sanen, sed nescio quid cogitare debeam, nullam hactenus responsionem vidi. nescio an reddantur literæ. Semestre jam est spatium, ex quo Chronologiam tuam, et observationes in Threnos misi, obsecrans ut

pagina

mihi mitteretur versio tua et notae in Danielem. Quaeso, Rev. vir si commoda dabitur occasio, ut ipsum semel mei admoneas, nam magno meo damno fit, quod Danielem tuum nondum habeo. Collegium tuum quod in Matthaeum suscepisti, in hanc terram usque celebratur ob numerum auditorum, bonum factum! Aperiat modo Deus in multis ostium sermonis. Tristis audivi de morte magni amici tui D. Lindani p.m. Tantam in isto capite jacturam fecit Hippocrates quantam omni tempore non fecit, [illegible] dio provinciam illius edendi a Rev. tua susceptam esse, quod laboriosum quidem, sed magnum et pium et utile est. D. Mommam audio Amstelodami habitare, sed vix credo. Commentarios, qui adscribuntur Turnebo, rev. tuae mitto, quaeso meis verbis, ubi commodum erit, salutem dicas Cl. Screvelio, et ne graveris utendum offerre ad editionem novam Quintiliani. Si quicquam praeterea habeo, vir clarissime, quod Rev. tua, aut bono publico utile esse judicabis, id tuum esse puta. D. Spang proximè praecedenti die martis è vivis decessit. Singulis ferè binis septimanis censurae consistorii nostri propositionem expono, non sine benevolentia censorum. Plura habebam quae scriberem, sed manum de tabula rapit praeteriens opportunitas. Quaeso vir Clarissime, nomine matris meae et meo D. uxorem et pignora tua charissima plurimum salutes. Id facit et avunculus meus. Deum veneror ut te diu superstitem ecclesiae suae donet, ita vale, honorande praeceptor, et amore tuo me dignari perge

Rev. nomini tuo

addictissimum

B. Somerum.

Vlissingae a.d. 21. Julii 1664

raptim.

t amplius
mu
ran
tras
roce
F

Admodum Reverendo et celeberrimo viro

D. Johanni Coccejo. S. Theologiæ professori

Lugdunum Batav.

Amicâ manu.